Wróblewski Alb: Laurus Palladis metrorum adornata corymbis et Jacobo Reynekker dedicata.

LAVRVS PALLADIS

Metrorum adornata Corymbis

ET

Ingenuo ac Venerabili Dño,

IACOBO REYNEKKER,

Dum in Peraugustâ Diui Iagellonis Aula secundam in Artibus & Philosophia Lauream publicè & solenniter prensaret.

CONFERENTE,

Excellentissimo ac Doctissimo

M. IACOBO SVSKI

Collega Minore, Præposito ad ædes S. ADALBERTI.

A

V. ALBERTO WROBLEWSKI, *Artium & Philosophiæ in Almâ Academiâ Baccalaureo,*

DEDICATA:

CRACOVIÆ.

Anno 1646. 16 April.

IN STEMMA SPECTABILIS ac CONSVLTISSIMI Dñi.





COntemplor iuuenes Phæbi feruore calentes,
Inſperſasq; nigro cerno colore genas.
Faſcia præcingit ſociato tempora nexu,
Sydera condecorant lucidiora manus,
Ardua ſupportanda manent clareſcere factis,
Qui petit aut viridi cingere fronde comam.
Ardores cæli tolerandi Solis,& æſtus,
Stemmata non aliud SCHEDELIANA notant.

FRANCISCVS ORSZETI,
Stud: Grammatices.



Spectabili ac Consultissimo Viro,

D. CHRISTOPHORO SCHEDEL.

Senatori Ciuitatis CRACOVIENSIS Dignissimo, &c. &c.

Domino & Fautori Obseruandissimo.

RES periculosæ plena est aleæ SPECTABILIS ac CONSVLTISSIME DOMINE, cum ob ingenij & genij mei tenuitatem ac imbecillitatem, tum ob nullam in eloquentiæ studio dicendi copiam: dum negotium tam arduum, & impar viribus meis tractandum assumo, quod pro dignitate & amplitudine illius magnificâ laudum condecorare apotheosi, non meam incultam facundiam, quam mihi nullam prorsus inesse sentio, sed Demosthenis aut Ciceronis & disertissimorũ ac penè grauissimorum Oratorum eloquentiam vix sufficientem esse existimarem: Syluis addam frondes & fontibus riuulos, si consuetudine aliorum iam receptâ, tantum studij in declarando officio meo adhibuero, quantum Priuigni Tui laudum præstantia, Tuaq́; gloriæ ac virtutum amplitudo postulat veneranda. Verùm vti pictoribus vsitatũ est, qui cùm aliquod nobilissimum industriæ suæ specimen, declarare cupiunt, ingentes & in paruâ tabellâ immensis militum depingere myriades, tali progrediuntur pacto: summa saltim capitum attingere, vel extrema pingendi arte illustrare cõsueuerunt. Itidem ego tametsi, nõ ita flexanimæ Suadæ instructus sũ coloribus, prout Tua excelsa requirit dignitas, ac amplitudo, nihil ominùs quantum in me est, hoc qualecunq́; mei candidi pectoris in Tuam clarissimam familiam, argumẽ-

 tum Ti-

tum Tibi declaraturus verba facere opera pretium duxi. Exprimis quippe Tuis augustissimis virtutibus, singulari prudentiâ, eximiâ humanitate, ac insigni liberalitate genereq; Tuo viuam maiorum Tuorũ imaginem, qui Deo, Regi, ac Patriæ fructuosi erant, dum glorioso virtutum clarescerent splendore, non secus ac lucidissimus Hesperus inter radiantes stellarum & syderum acies præfulgerent. Quid enim potest dari, aut melius, aut dignius, aut laudabilius, quàm Deo præpotenti supremo rerum omnium gubernatori obsecundare, Principi in Republicâ morem gerere. Patriæq; rationibus accuratiùs, non tantùm consulere, verum in amplificandis illis solertem nauare operam? à quibus præclare factis, Tuorum maiorum & Suorum non recessit V. D. IACOBVS REYNEKKER, *immò ita illorum secutus est vestigia, vt maximam gloriam, non tantùm illis, verùm etiam Tibi* S. D. *Tuisq; liberis ingenuis (quib⁹ nihil dulcius hominũ generi à naturâ datũ est) emolumentum sit allaturus copiosum; dum eis perplexos difficultatum in studijs, soluerit nodos, doctrinamq; ijsdem instillauerit salutarem. Insuper Deo auspice vt benè auguror in Sublimes prorumpet honorum gradus, hoc illius modestia, hoc sedula in studijs honestissimis ominatur industria. Hæ itaq; rationes me excitârunt, vt hanc meam lucubrationem? non exquisitâ adornatã Mineruâ, Tibi* SPECTABILIS *ac* CONSVLTISSIME DOMINE *dedicarem. Quo in passu licet iam gratulari Tibi Tuisq; omnibus, quod tam optatum nactus sis solatium ex Tuo Priuigno, qui ita feliciter in Academico procedit Laureis decoratus stadio: optoq; ex animo, vt rerum omnium felicissimo successu floreas, & diutissimè adornamentum Vrbis & Familiæ Tuæ incolumis viuas, meum verò hunc laborem, tanquam indubitatum obseruantiæ meæ monumentum æqui boniq; consulas.*

Spectabilis ac Consult: Vestræ Dñonis
ad omnia obsequiorum genera.

Promptissimus.

ALBERTVS WROBLEWSKI,
Art: & Phil: in Alma Acad: Crac: Baccalaureus.

ODE I.

Iusta datur iusto merces persæpè labori.

NEmini limen patuit corusci
Ante honoris, quam nitidum subiret
Pegma virtutis Phrygij nepotum:
Liuius inquit.
Hinc patet nullum meritum decoræ
Posse virtutis, merito absq; iusto
Cuipiam offerri: quoniam labor fert
Præmia fronti.
Aggrauabaris nimio labore
Sæpè Musarum retinendo castra,
Antequam nôris sapientis alma
Dicta Platonis.
Feruidâ curâ literis vacabas
REYNEKIER, summo studio Camænas
Principem vatum celebrem colebas
Pectore læto.
Ergo te sudor vigilum laborum
Laurea cingit, redimitq́ue frontem:
Nulla tempestas premet hanc virentem,
Nulla vetustas.
Qui fretum sulcat, patiturq́; scyllas

Siue pertransit maris æstuantes,
Vortices, seu iam Nereus potenter
Obuia iactat.
Nocte seu proram mediâ saburrâ
Sistit, imploratque Deos marinos,
Atque formosam gemebundus æthram
Voce fatigat.
Castor & Pollux mihi ferte lumen,
Hæreo cæcus sinè luce vestra
Hâc nigrescentes tenebras fugate
Sydera bina.
Porrò non supplex precibus rogâsti
Hos Deos sæuis agitatus vndis,
Iam licet gustes propè plena tristis
Pocula Lethes,
Sydus at fulgens maris ore poscis
Supplici voto rogitas & almam
Virginem; cuius Tibi dextra adesse
Non nequit vnquã.
Sunt quidem euentus Tibi queis moueris,
Non tamen pulsat Tua corda terror,
Namq; succurrit Tibi Mater astris
Cincta coruscis.
Hæc secundauit Tua vota, cæptis
Sub-

Subministrauit facilemque cursum :
Hæc gubernabit Tua facta, rectis
Annuet ausis.
Hæc opem semper feret altiorum
Consequendorum; hoc tibi cum Tuisq;
Opto; conuiuas patriæ, Deoq;
Palladis Horto.

ODE II.

O Canti diuine, Lyta, ac Academia grati
Vrbibus egregijs Imperijsq́; Polo.

FElix Metropolis? Palladis inclytæ
Armis castra gerunt fulgida quam suis:
Doctos progeneras tot
Natos, Mater es vtilis.
Multis Imperijs ô Academia!
Frugens campus habens, hortus aromatum
Plenus (cui honor, atque
Cultus debitus ac quidem.
Sit citra inuidiam) clara scientiæ
Sedes, ac solium, fax sapientiæ
Et nidus pietatis
Diuus Cantius almus est.

Inquo

In quo: clara satis lumina præbuit.
Virtutum gremium sustinuit diu,
Musarum loca visit
Vnâ cum pietatéque.
Felix ille fuit muneribus Dei
Insignis meritis intulit is caput
Cælo candidus almo
Conspectu fruitur Dei.
Res miranda noua est, quam prece supplici
Artes Pierias: Cantius adfuit
Tractanti misero; se
Cuîdam voce roganti opem!
Quidnam? dicere non expedit hæc modo;
Depromet Tibi pòst publica pagina
Quantus splendeat alto
Diuus Cantius in polo.
Te verum alma parens natum Academia
Altrix ingenui promouet ingeniî
Huius dicere fætu
Verus Filius vbere.
De cuius studio iam benè pascere
Illius pietas Te capit in fidem
Quod grator, precor vtq;
Viuas sospes & integer.

ODE

ODE III.

Hunc Pallas magno quæsita labore coronat.

SParſas per altum, dum furit Æolus
Formidoloſis flatibus inſolens
Quæ dirigis vultu benigno
Argolicas Cynoſura claſses.
Inuolue nigro tempora Syrmate,
Nox cæca tortis crinibus incubet,
Caliginoſas inter vmbras
Perpetuas age fuſca noctes.
Cum fratre Pollux Caſtore protinùs
Laxate nexus diſsociabiles,
Cælo reducentes coluros
Splendidiùs nitet ecce ſidus.
Non indecoro lumine ſplendicans
Ceu fulget ortu Phoſphorus aureo,
Ceu nocte pulsâ purpuratum
Quadriiugo vehit axe Phæbum.
Enata proles ſanguine nobili
REYNEKKERORVM gloria poſthumum
Immenſa circumdat nepotem.
Temporibus moritura nullis.

Ille ille multo laudis adoream
Sudore partam. Crace parens tuæ
Nunc pandit vrbi, glorioso
Victor adest celebris trophæo.
Cuius iuuentam nutrijt artibus
Pallas beatis, Mens generosior
Viuace contendebat ausu
Palladios superare circos.
Apollo vatum Ductor amabilis
Ori rotundo suppeditauerat
Ascræa Musarum fluenta,
Vt Tua sit decorata Suada.
Deprælians inter vt Africos
Puppis vacillat per tumidas iter
Quærens procellas, perq; fluctus
Saxa per, & scopulos minaces.
Excelsa Phæbi præterijt iuga,
Intaminatam verbere barbiton
Tangens eburno, labra tingens
Pegaseo benè culta riuo.
Vt laureatis diues honoribus,
Sertoq; gestans implicitum caput
Fulgeret in Vatum Senatu
Nomen habens titulosque vatis.

Tylicianis in penetralibus,
Labore quærens, & vigilantiâ
Adeptus Oratoris artem
Verba ciet meliora melle.
Decurrit acri mente ſcientiam,
Quâ doctiores erudiunt Sophi,
Spem non perituram parentum
Progeniem pretioſiorem
Auri metallis: Nonne monilia
Cornelia almi pignora ſanguinis
Vel ipſa mater dixit olim
Romuleæ pretioſa gentis?
Conchyliato non adamas nitet
Sic clauſus auro gemmeus, aut onyx,
Diffundit ignes, vel petita
Memnonio noua gemma ponto.
Vt promicanti lampade clarior
IACOBE virtus irradiat Tua,
Diuûm penates perq; faſtos
Patricios trabeata lucet
Victura terris: mille ter ampliùs
Labantur anni: præcipites licet
Soleſque deducant quadrigas
Aſtra ſuper per inane vecti.

Ter mille lustris. Quin age lauream
Donum labori nobile debitum
Capesse felix, his Athletas
Muneribus Prytanæa ditant
Doctæ Mineruæ. Tu columen domus.
Olim futurus. Cuî sapientia
Gazas Palatinis reclusit
Diuitijs opulentiores.
REINEKKERORVM clara suis domus
Natis refulget sub Cracio polo:
Quorum parens virtutibusq́ue
Sat benè diuitijsq́ue fulsit.
Nec non superstes nunc opibus potens
Perdigna natis est Genitrix suis:
Virtute queis prælucet æquâ.
Sæpè procul resilire poma
A fissili nam stipite non solent
Hunc Tutor eius seu potiùs Parens
Ceu diligit natum, fouetq́;
Consule nomen habendo dignum.
Sanis dat vrbi consilijs opem,
Facemq́ue præfert cuilibet accolæ
Virtutis; æquus iusta iudex
Iudicat ac moderatur vrbem.

IACOBE

Iacobe Suadâ præditus emicas
Virtute, Musis Teque Academia
Instruxit: & morum súàuis
Semper erat tibi comitas &
Mens; forma, dotes ac animi probi:
Formauit autem turba Cleanthea
Te; dum Camænis militares,
Plurima pertuleras acerba.
Magis supremo viuida Numini
Virtus probatur corpore profluens
Formâ venustâ; gratiorem
Esse liquet populo hanc cuique.
Frondente lauro culmina laudis &
Fructus opimi cincta phalanx suo
Sudore, quem prensat per orbem!
Quæue Deo Duce Tu prehendes.
Vultu sereno, quod Tibi riserit
Fortuna suauis, cùm Tibi lauream
Porrexit optatò secundam:
Gratulor hoc Tibi cum Tuisque.
Faxit supremum Numen vt omnia
Fausta auspiceris; prosper item in Scopum
Pergas; amœnus sortis almæ
In gremio sedeas beato.

Hoc ergo fauſtus munere fungere
Decurre vitæ plurima ſæcula
O Palladis ſidus, decora
Aſtra Tuo ſupera nitore.
Fauente Diâ virgine ſedulò
Conere factis quàm grauibus ſpei
Votiſque reſpondere dignis
Pieriæque Tuæ parentis.

ODE IV.

Tempora veris eunt, felices creſcite Lauri.

BRuma Riphæis dominata campis,
Orbe dum ſpargit glaciale frigus,
Non ſemel pugnax Aquilo furenti,
Mugijt ore.
Alta Parnaſsi iuga congelatas
Et nemus Pindi, doluêre lauros;
Lesbius vates renuit iocoſum
Pangere carmen.
Ac pruinoſos animare neruos
Arte Dircæâ; quibus efferatos
Sæpe ſubmouit dominantis iræ
Pectore motus.

Nulla Pæſtanis roſa fulſit hortis,
Non Idumæis opulenta baccis
Palma, victorum decus & potentis
                    Gloria dextræ.
Iam dies verni redeunt, hiemſq;
Igne Phœbæi calefacta currus
Hiſpido valles & in hoſpitali
                    Frigore ſoluit.
Ite iam lauri præeunte vere,
Ite felices per aprica fuſis
Altiùs ramis, ſuperate celſas
                    Vertice nubes.
Vos coronando dabitis Magiſtro
Serta IACOBO, potiora gemmis,
Siue quas Indi, vel auara Cræſi
                    Arca flagellat.
Creſcit occulto velut ornus æuo
Flante pennatâ Zephyri quadrigâ,
Dum ſacrum lauri nemus aduolante,
                    Perſtrepit aurâ.
Ille ſic raris ſinè labe factis
Nomen extendit generoſa virtus
Vile nil curat: graditur per altos
                    Laudis honores.

Regna

Regna Muſarum ſtupuêre quantos
Artibus nauans operam labores,
Mouit; altarum documenta rerum
Abdita luſtrans.

Hunc cedri dicent, & honora myrtus,
Concelebrabit memores in annos;
Hunc triumphali vehet æuiterna
Gloria curru.

Fronde gemmata decorabit, auro
Gratior laurus, folijsque nomen
Inclytum ſcribet: Vireat IACOBVS
REYNEKKER orbi.

